Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36448
Copyright: Melk, Benediktinerstift

annitentibus cunctis vix ab invito impetravit ut suum quoque monasterium in mansionum ordine poneret. Post diem vero decimum venerunt ad eum custodes vinee quasi ville essent dispositi qui tam lapidibus et glebarum iactu fundeque vertigine accedentes deterreret sine esurie sive delectatione uvarum. et omnes profecti sunt mane. Ridente sene et dissimulante eo quod sciret antequam veniret. Porro suspecti ab alio monacho cuius vocabulum est albus. Debemus itaque parcere tacere vocabulum largi dicere. Cum dominice erat dies invitabatur ab eo ymusi ad vineam ut ante horam cibi uvarum pastu laborem eorum sublevaret. Et senis ait. Maledictus qui prius refectionem corporis quam anime quesierit. Oremus psallamus reddamus domino officium et sic ad vineam properabitis. Completo itaque ministerio in sublimi stans benedixit vinee et suas ad pascendum dimisit oves. Erant autem qui vescebantur non minus tribus milibus. Cumque centum lagenis estimata esset vinea adhuc integra post dies viginti trecentas fecit. Porro ille parcus frater multo minus solito colligens etiam id quod habuerat versum in acetum sero doluit. Hoc multis fratribus senex ante futurum dixerat. Detestabatur autem precipue monachos qui infidelitate quadam in futurum servarent sua et diligentiam haberent vel sumptuum vel vestium aut alicuius rei que cum seculo transeunt. Denique unum de fratribus in quinto miliario manentem quia comperat hortuli sui nimis cautum timidumque custodem et pusillum nummorum ab oculis suis abegerat. qui volens sibi reconciliari senem frequenter veniebat ad fratres maxime ad Hesychium quo ille vehementissime delectabatur. Quadam

igitur die ciceris fascem virentis sicut in herbis erat detulit. Quem cum Hesychius posuisset in mensa exclamavit senex se putorem eius ferre non posse. simulque unde esset interrogavit. Respondente autem Hesychio quod frater quidam primitias agelli sui fratribus detulisset. Non sentis inquit putorem teterrimum et in cicere fetere avariciam. Mitte bubus mitte brutis animalibus et vide an comedant. Quod cum ille iuxta preceptum posuisset in presepe exterriti boves et plus solito mugientes ruptis vinculis in diversa fugerunt. Habebat enim hanc gratiam senex ut ex odore corporum vestiumque et earum rerum quas quis tetigit sciret cui demoni vel cui vitio subiaceret. Igitur senex sexagesimo tercio vite sue anno cernens grande monasterium et multitudinem fratrum secum habitancium turbasque eorum qui diversis languoribus et immundis spiritibus occupati ad se deducebantur ita ut omni genere hominum solitudo per circuitum repleretur. Flebat quotidie et incredibili desiderio conversationis antique recordabatur. Interrogatur autem a fratribus quid haberet cur se conficeret aiebat. Rursum ad seculum redii et recepi mercedem meam in vita mea. Cum enim omnis palestina et vicine provincie estimant me alicuius esse momenti et ego sub pretextu monasterii ac dispensatione fratrum ville supellectilem habeo servabatur quoque a fratribus maximeque ab Hesychio qui miro amore venerationi senis deditus erat. Cumque ita dixisset lugens nimium Aristene illa cuius fecimus mentionem prefecti tunc uxor sed nichil de habitu ambito prefecti habens venit ad eum volens etiam ad Antonium pergere. Cui ille flens ait.

al' de p'fecti ambitu